



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Jacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv, De Fortitvdine Et Constantia Christiana Libri Tres

Lobbet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

§. 2. In publicis calamitatibus solatio est meditatio vicissitudinis,
senectutis, & occasus rerum omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49140](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49140)

nimo meditaris, aut urbium, aut
 prouinciarum ruina; quasi caelos
 sustineres ipse velut alter Athlas,
 ruentemque mundum: maneat is
 apud superos labor, sit ista cura pe-
 nes Deum tuum, moderatorem v-
 niuersi: Tu eâ vacuus esto, & ca-
 sum, quem declinare nō potes im-
 motus animo sustine; altiorique
 prouidentia cede.

Ep. 71.

*Magnus animus, inquit Sene-
 ca, Deo paret, & quidquid lex uni-
 uersi iubet, sine cunctatione patitur:*

§. 2.

*In publicis calamitatibus solatio est
 meditatio vicissitudinis, senectutis,
 & occasus rerum omnium.*

Seneca de Catone hæc magni-
 ficè prædicat. Eodem die, quo
 præturâ repulsus est, lusisse: eâdem
 nocte, quâ periturus erat, legisse.

Ni-

Nimirum eodem loco habuit, & præturâ, & vitâ excedere; quia omnia, quæ acciderent, ferenda esse persuaserat sibi; nec priuata tantum mala, sed & publica, quale fuit reipublicæ inclinatio, atque occasus, quem ille forti, & æquo animo est passus; vel hac vnâ tantum meditatione, quod nihil mutationis periculo exceptum sit. *Non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus, quamuis Deo agente ducatur. Non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies deijciet. Certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, extinguui. Quæcumque vides super nos currere, & hæc quibus innixi, atque impositi sumus, veluti solidissimis, carpentur, ac desinent. Nulli* EP. 71. *non senectus sua est. Inequalibus ista*

spatius eodē natura demittit. Quid-
 quid est, nō erit, nec peribit, sed resol-
 uetur. Nobis solui, perire est. Proxi-
 ma enim intuemur, ad vltiora
 non prospicit mens hebes, & quae se
 corpori addixerit. Alioquin fortius
 sui, suorumq̄, finem pateretur; si spe-
 raret omnia illa sic in vitam, mor-
 temq̄, per vices ire, & composita
 dissolui, & dissoluta componi: in hoc
 opere aeternam artem cuncta tempe-
 rantis Dei verti.

Hæc olim ad Lucilium Seneca,
 vt ei faceret animos, omni fortunâ,
 casuque altiores, vt qui apud se re-
 poneret illud, aeternam artem om-
 nipotentis Dei in eo verti, vt per
 vices & composita dissolueret, &
 dissoluta componeret, suumque
 vnicuique finem statueret: Quod
 vt fideli, memori que serues men-
 te,

te, velim amice Lector, etiam singula expendas verba, & æqua lance penfes.

In hoc opere, inquit Seneca; quasi illud vnum supremi artificis sit opus, vniuersa, quæ sub cælo, sole-que sunt, mutare, & omnia pro sua voluntate, arbitrioq; vertere, atque, cum ita visum fuerit, euertere; quod ipsum non huius diei, imò nec cui consilium est, sed æternitatis: hinc *æternam artem* appellat: quia iam inde ab ipsâ retro æternitate inuenta, & scripta, non in ceris, aut membranis, sed in altissimâ, diuinâque primi authoris mente, & quidem non temerè, sed ex arte.

Nos abiectæ in terras animæ, & cælestium inanes, quibus ad superiora caligat oculus, & animus, cū eas rerum omniū mutationes aspe-

X 3 ctamus,

326 DE FORTITVDINE
Etamus casu quodam fieri credi-
mus, impeteque cœco causarum
in se, suâque operâ ruentium, re ta-
men ipsâ, non est ita; fiunt enim-
uero, fiunt ex arte omnia, & æter-
nâ quidem, adeoque cœlesti, im-
mutabili, diuinâ; quæ & artis hu-
manæ insana molimina, & ipsa
naturæ opera susque deque vertit.
Ut enim ille ipse Seneca, quo au-
thore lubens vtor.

Ep. 91. *Non tantum manufacta labun-
tur, sed & ipsius naturæ opera vexã-
tur. Et ideo æquo animo ferre de-
bemus vrbiũ excidia, & quoscum-
que in humanis casus, quia casura
omnia extant, omnibus exitus ma-
net. Eundum velis, nolis, per ipsas
fatorum, diuinæque prouidentia
vias, scriptasque cælo leges: à qui-
bus omnia mortalium opera morta-
litate*

litate damnata sunt : nullaque res Ep. 91.
 quantumuis magna non aliquod ha-
 buit ruinæ suæ spatium. In hac sepe
 vna nox interfuit inter urbem ma-
 ximam, & nullam. Proinde que sa-
 pienti in plenum cogitanda fortu-
 na est, & ante oculos fortis huma-
 nę conditio ponenda, & quod alijs
 euenit, nobis euenire posse præsu-
 mendum.

Quoties Asiæ, quoties Achaiaë
 vrbes vno tremore ceciderunt? quot
 oppida in Syriaâ, quot in Macedo-
 niâ deuorata sunt? Cyprum quo-
 ties vastauit hæc clades? quoties in
 se Paphus corruit? frequenter no-
 bis nuntiati sunt totarum urbium
 interitus, imò prouinciarum, atque
 regnorum. Quod in illis annuen-
 te cælo visum est, non inuiti etiam
 in alijs, cum à Deo statutum fuerit,

patiamur: vt enim animanti sua est ætas, suaque senectus, ita & rei publicæ, & florenti quantumuis imperio: vti surrexit illud, ita & concidet. Sed magna, inquires, sunt ista. Ardere ciuitates opulentas, magnificas, nobiles, & sic earum eradi vestigia, vt nec quicquam extet, ex quo appareat illas saltē fuisse. Certè *magna ista, quia paruissimus, credimus: multis rebus, non ex naturâ suâ; sed ex humilitate nostrâ magnitudo est*: Quod ipsum vt in alijs plerisque; ita & in hoc de quo agimus, agnouit aliquando Hipponensis Præsul, æuique sui gloria, magnus Augustinus.

Venerat ille ad extremam ætatem, & annis, & vero etiam meritis grauem, cū ecce ingens calamitas, & veluti quedam hostium illuies

ex

Lib. 3.
nat. 99.

ex Hispanijs in vniuersam Africam sese effudit: mistæ erant Vandalarum, Gotthorum, & Alanorum acies, à quibus ita perijt Africa, vt in eâ tres tantum vrbes ab eâ irruptione, cladeque liberæ forent. Videlicet Carthaginensis, Hipponensis, ac Circensis: vbiq; locorum summa vastitas, ac solitudo; deserti agri, excisa oppida, dirutæ vrbes, expilata Ecclesiæ, profana, sacraque omnia violata. Ipsa Hipponensis vrbs grauissimâ obsidione pressa, deditiõnem cogitabat: non fecit tamen viuo, ac spirante Augustino: cadentẽ ille Rempublicam quantum modo potuit, retinuit; donec à morte vel abreptus, vel abstractus se quodammodo comitem diu sustentatæ ruinæ dedit: simulque extincta sunt, quæ nefas erat diuidi.

X 5. Neque

Nec; enim Augustinus post christianam libertatem vixit, neque libertas christiana post Augustinũ. Ideoque eo sublato statim florentissimæ ciuitatis facta deditio est; quam animo dum longè ante prospiceret, simulq; carissimæ prouinciæ calamitates, communeque excidium, hoc sapientis pronuntiato se ipse solabatur, mœroremque diluebat. *Non erit magnus, magnum putans, quod cadunt ligna, & lapides, & moriuntur mortales.*

Possi-
don. in
cius vi-
tã. c. 28.

Quid aliud oppida sunt, & vrbes quam ligna, & lapides, inter se arte quadã, & industriã compacti? quid regiæ, & insana palatiorum molimina, ac substructiones? quid ingentes murorum minæ nisi lignorum strues, & aceruus lapidum inter se ingeniosè composita ad vsum generis

generis humani? Hæc igitur sua mole ruere, quid aliud est, quam ligna, & lapides cadere, atq; dissolui, & hoc magnum putabis? nõ putabis, vel enim uero nõ eris magnus.

§. 3.

Sapienti nec nouas, nec miras uideri debere publicas calamitates.

IN hoc argumento, ut alijs multis, verissimum illud sapientis: *Nihil sub sole nouum*. Etsi enim nobis trudatur dies die, nouæque pergant interire Lunæ, nunquam tamen ex toto interit publica calamitas, sed alia ex alijs enascitur, ut enata omnibus retrò actis iam sæculis; adeoque nec noua, nec mira cuiquam uideri debet.

Circulantur, inquit Lipsius, cotidie hæ clades, & orbe quodam
eunt

L. 2 de
Const.
c. 26.